

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica XXII. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

## DOMINICA XXII. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 18. v. 23. -- 35.

## EXORDIUM.

**C**Um Moles jussu Dei virgam suam projiceret, versa est illa in colubrum: unde exterritus Moles, ita ut fugeret. Sed dixit Dominus Deus, ut extenderet manum suam, & apprehenderet caudam ejus. Hoc facto, versa est in virgam in manu ejus, Exod. 4. v. 4.

Ex hac historia pii veteres elegantem Allegoriam confecerunt.

Peccatum, Vos mei! colubro non dissimile est, primò *ratione originis*. Oritur enim à Diabolo, qui serpens antiquus dicitur, Apoc. 12. v. 9. quia per serpentem Protoplastos nostros in Paradiso seduxit, Gen. 3. v. 1. deinde & *ratione veneni*, quo infectus est. Unde Siracides: Quasi à facie colubri fuge peccata, & si accelleris ad illa, mordebunt te, Sir. 21. v. 2. Nam hic coluber alios secum affert: sicut Deus serpentes ignitos misit in Israelitas, cum peccassent, ad plagas & mortes plurimorum, Num. 21. v. 6. Ita hodie tenus adhuc multiplices pœnas & plagas habet, quibus impœnitentes castigat: Tormenta bellica, quæ & ipsa serpentes *Seldschlangen* vocantur: Famem, quæ instar serpentis ex unâ regione in aliam serpit, & ut ignis, medullam consumit in ossibus, Thren. 1. v. 13. ut sint velut bis mortui, Ep. Jud. v. 12. ut & febres pestilentiales, quibus homines subito abripantur, & morti mancipantur. Est enim justus judex, & Deus minitans,

per singulos dies, Psal. 7. vers. 12. seqq.

Hæc mala ut antevertamus, velut Moles caudam hujus colubri apprehendamus oportet: h. e. perpendamus, quid tandem peccata sequatur, nempe temporalis & æterna mors, quæ & stipendium peccati dicitur, Rom. 6. v. 23. Hinc Veteres dixerunt, peccatum non intuendum, *tantumquam accedens*, ubi blanditur & voluptatem ostendit: sed *tantumquam recedens*, ubi pœnitentia consequitur, & ejusmodi fructus, in quo erubescimus, Rom. 6. v. 21.

Hoc si servus ille nequam ad animum sibi revocasset, non adeo securè in diem vixisset, & peccata peccatis cumulasset, dum adeo æs alienum multiplicavit, ut decem millibus talentorum Domino obstrictus, solvendo non fuerit. Ut pluribus ex prælecta Pericope audiemus.

Nos instituti nostri memores spectabimus

- I. *Triplicem Querelam.*
- II. *Triplicem Medelam.*
- III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

*Exegetis.*

**D**E Persis scribitur, quod duobus vitis laborent, quorum primum, *multum debere*, alterum, *multum mentiri*.

Utrumque vitium reperitur in servo nequam prælecti Evangelii. Debat enim

Do.

Domino suo decem millia talenta: ejusmodi summam, cui solvendo non erat: & tamen promittebat, si patientiam haberet Dominus, se omnia redditurum ei. Hoc vanum erat. Quomodo enim servus decem millia talenta, quæ sex milliones conficiunt, solveret?

Servus hic obærat, *imago est nostrum omnium*. Natura enim & ipsi debito maximo premuntur, eaque transgressione Decalogi aded cumulavimus, ut non modò decem millia, sed decies millena millia talentorum Deo debeamus. In multis enim offendimus omnes, Jac. 3. v. 2. & licet emendationem vitæ polliceamur, tamen id nunquam præstatur, sed requiescimus in fecibus nostris, donec Deus venit, & ad rationem reddendam adstringit nos, sicut in prælecta Pericope audimus, quod Rex diem constituerit, quâ servi comparere & rationem reddere debeant, quomodo hæcenus bona concedita administrarint.

*Querela respicit*

I. *Peccatorum cumulationem*, quâ hic servus Domino obærat fuit. Nam oblatum est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. Hæc tanta summa est, quam homo privatus non possidet. Talentum enim æstimatur sexcentis coronatis, ut Budæus supputat. Faciunt igitur decem millia talenta, sexagesies centena millia coronatorum, seu sexaginta tonnas auri. Hoc ipso verò delineatur nobis *maxima peccatorum moles*, quæ ut decem millia talenta animum nostrum premit & angit, iniquitates nostræ multiplicatæ sunt, super capillos capitis nostri, Psal. 40. v. 14. & super arenas maris, Orat. Man. v. 9. delicta quis intelliget? Psal. 19. v. 15. Non est, qui fa-

ciat bonum, non est, usque ad unum, Rom. 3. v. 10.

Id faciliè patet, si ad singula præcepta rationem revocamus, & vitam nostram prout decet examinamus: hoc modo nemo infontem se agnoscer, sed potius intimam naturæ suæ depravationem luculenter perspiciet. Præcipuè quia Dominus jussit venundari servum & uxorem, & filios: & omnia quæ habebat & reddi. Est enim Deus zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt eum, Exod. 20. v. 5. Interea tamen fores gratiæ clausæ non sunt, sed potius illud Chrysostomi locum habet: *Millies lapsus, millies regredere*, & gratiam posce, ut servus hic nequam: sic Dominus & debitum & pœnam remittet, teque ut pater filium prodigum, cum gaudio suscipiet, Luc. 15. v. 20.

II. *Conservi strangulationem*. Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, & injecta in eum manu, obtorto collo trahabat, dicens: Redde quod debes. Græca vox indicat, quod aded tyrannicè ipsum tractarit, ut ipsum quasi strangulaverit, & vita privarit. En nequitiam, & tyrannidem, servi hujus nequam!

Verùm si oculos in mundo circumferimus, idem usu evenire cernimus, idque fit i. *Circumventionem*. Inveniuntur siquidem, qui scœnore & usuris proximum aded exhauriunt, ut necessariò ad stipem ille redigatur. Sed vix ei, qui multiplicat non sua: usquequò aggravat contrà se densum lutum, Hab. 2. v. 6.

2. *Exactione*, quando Magistratus nimis exactio.

exactionibus subditos emungit, ut sit bonus odor ex re qualibet. Id vocat Michas pelles tollere de super eis, & carnes de super ossibus eorum, Mich. 3. v. 3. Panis egentium, vita pauperis est, qui defraudat illum, homo sanguinis est, Sir. 34. v. 25.

3. *Persecutione.* Quando Esau Jacobo mortem minatur, ut propterea solum vertere, & in Mesopotamiam ille fugere cogatur, Gen. 27. v. 41. seqq. Aut communis persecutio oritur, ubi illi qui characterem bestiae suscipere renuunt, in exilium aguntur, & opibus nudantur, vel planè vita privantur, sicut per Inquisitionem Hispanicam multa millia miseris modis peremta, imò igni tradita novimus, Subveniat Deus prestis, ut fidem & bonam conscientiam illi conservent, 1. Tim. 1. v. 19. & rapinam bonorum suorum cum gaudio suscipiant, cognoscentes, habere se meliorem & manentem substantiam in cælis, Hebr. 10. v. 34.

Et ut semel dicam, quocumque te vertes, videbis quòd violentia justitiæ prævaleat, propterea languent leges, & non pervenit usque ad finem iudicium, Habuc. 1. v. 4.

Sed Deus id impunitum non relinquet. Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus, ponam in salutari, Psal. 12. v. 6.

Contrà verò confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis, Psal. 68. v. 22. tùm justum apud Deum erit, reddere iis qui affligunt nos afflictionem, nobis verò, qui tribulamur, requiem in revelatione Domini Jesu de cælo, 2. Thess. 1. v. 6.

III. *Denogatam condonationem.* Obsur-

deficit enim servus ille nequam ad supplicationem conservi sui. Nam ut Evangelista ait: Noluit ille, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.

Probè notandum, quod Evangelista temporis mentionem faciat, quando id factum sit, nempe non post octiduum, vel mensem elapsum: sed cæpse horâ, ubi à Domino exierat, & gratiam decem millium talentorum remisit impetraverat. Unde patet, quod omnia adhuc in recenti memoriâ habuerit, & tamen tantâ vecordiâ est, ut nolit conservi sui misericordiâ tangi, & centum denarios, qui si nostræ monetæ applices, vix decem coronatos vel quindecim florenos constituunt, ipsi remittere, vel ad minimum aliquantis per patientiâ in conservum suum uti.

Nos eodem genio sumus. Deus Opt. Max. decem millia talenta peccatorum nostrorum, dudum expunxit, & sanguine pretiosissimo Filii sui Chirographum, quod adversum nos erat, delevit, Col. 2. v. 14. quin & adeò bonus est, ut per Ministerium verbi quotidie nobis reconciliationem offerat, 2. Cor. 5. v. 20.

Nos verò adeò duri & inclementes sumus in proximum, ut ipsi ne centum quidem denarios remittere velimus: & sæpè ob levem causam, odio, invidentiâ & inimicitâ prosequamur eum usq; ad mortem: ut rectè Siracides, cap. 28. v. 3. seqq.

Ejusmodi hominum in hac sece mundi plurimi sese offerunt, qui sine affectione & irreconciliabiles sunt, 2. Tim. 3. v. 3. Sed via illorum complanata lapidibus, & in fine illorum, profunditas inferni, Sir. 21. v. 11. idèò vocat eos hîc Christus servos

ne-

nequam, siue malos, à Patre eorum Diabolo, qui καὶ ἑξοχὴν πονηρὸς dicitur, Eph. 6. v. 16.

Verè servi nequam appellari possunt:

1. *Tanquam ingratorum ingratiſſimi*, Deut. 32. v. 1. Deus cœlestis Pater condonat ipsis quotidie tot centena peccata, imò decem millia talentorum, & illi non adedè benigni sunt, ut proximo centum denarios remittant. Quid centum denarii respectu centum millium talentorum? Nulla hîc prorsus proportio est. Ingrati ergò hospites sunt, qui id non agnoscunt, nec proximo nocenti remittunt, Sir. 28. 2.

2. *Improborum improbiſſimi*: qui vel planè preces negligunt, vel licet orent, tamen oratio inefficax est. Deus enim peccatores non exaudit, Joh. 9. v. 31. quin omnia illorum opera in maledictione maledicta sunt, Mal. 3. v. 9. Si templum frequentant, frustra frequentant. Nam semen verbi divini corde mundo excipiendum est, si radicare & fructificare debeat, Luc. 8. v. 15. Si peccata confitentur, sine fructu id fit. Quia enim odio irreconciliabili ergà proximum ardent, & peccata retinentur, Joh. 20. v. 23. Si sacra cœna utuntur, & hîc salutari effectu carent: est enim ἀγάπη ad quam implacabiles non pertinent: & licet illius compotes fiant, tamen in iudicium eam sibi edunt & bibunt, 1. Cor. 11. v. 29. Si elemosynas erogant, nec hæc à Deo attenduntur, quia sine caritate fiunt, juxta illud Pauli, 1. Cor. 13. v. 3.

3. *Perditorum perdiſſimi*. Quamdiu enim in ejusmodi implacabilitate degunt, sub irâ Dei & potestate Satanæ sunt, nec ullam salutis spem habent. Wann ihr die Briten nicht liebet / so seyd ihr des Teuffels /

wo ihr geht und steht / scribit B. Lutherus, in Postilla domestica. Qui id non credit, danno suo certissimo aliquando experietur.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fuit

1. *Ex rivulo divine Clementia*, quam Rex servo huic obærato exhibuit. Misertus quippè illius dimisit illum, & debitum dimisit ei.

Cum Imperator Hadrianus imperium suscepisset, civibus Romanis & aliis in locis degentibus magnam pecuniæ vim, quam ætario Imperatoris debebant, remittebat, & syngraphas in publico foro cremari jubebat, quò securiores forent, ne & in posterum propterea compellarentur.

Idem Justinus II. suasu conjugis suæ Sophiæ fecit, & hoc ipso subditos sibi magna benevolentia devinxit.

Sed quanto munificentior est Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui non modò huic servo decem millia talenta donavit, sed & idem quotidie facit si seriâ penitentia ad eum nos convertimus. Non enim vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, Esa. 18. v. 23. quin ex hac causâ omnia conclusit in incredulitatem, ut omnium misereatur, Rom. 11. v. 32.

Hinc elucescit, non exiguam, sed infinitam misericordiam esse, quâ Deus nos prosequitur. Quæ? qualis? quanta? quærunt in Scholis. Sic & nos hic quæri possumus. Primò, quæ? Resp. non hominis, hæc enim saltem circâ proximum: misericordia autem Dei super omnem carnem,

Sir.

Sir. 18. v. 12. Deinde, Qualis? paterna, Pſal. 103. v. 13. cordialis, Luc. 1. v. 78. ardens, Ol. 11. v. 9. lætatur enim ad benefaciendum nobis, Jer. 32. v. 39. Tertiò quanta! R. ſp. quantus ipſe eſt, Sir. 2. v. 2. Atqui Dominus tantus eſt, ut cœli cœlorum ipſum non capiant, 1. Reg. 8. v. 27. Ergò & miſericordia ejus infinita eſt, & æterna ſuper timentes eum, Pſal. 103. v. 17.

Exultemus hinc, Vos mei! Peccatum, peccatum inquam, aded nos depravavit, ut nihil boni in nobis habitet, Rom. 7. v. 18. ſed miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti, Thren. 3. v. 22. tegit enim peccata noſtra, Pſal. 32. v. 1. donatque nobis juſtitiam, quam Filius ſuus perfectæ ſua obedientia acquiſiuit, ubi manus ſuas expandit in arâ crucis, & quolibet digito millia talenta de decim his talentis expunxit, Gratiâ igitur ſalvati eſtis, Eph. 2. v. 8.

II. *Ex rivulo divina patientia*, quâ ſervos ſuos proſecutus eſt, ut debitum invaluert, & uni mille aliud ſucceſſerit, donec tandem rationem cum illis contulit, & ſolutionem urſit.

Hoc divitiis bonitatis Dei acceptum ferendum, quibus nos ad pœnitentiam invitavit, Rom. 2. v. 4. Patienter quippè agit propter nos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti, 2. Petr. 3. v. 19.

Nos nihil horum meruimus, ſed digni eſſemus

Ut Pater omnipotens adigat nos fulmine ad umbras,

Pallentes umbras Erebi.

Sed converſum eſt cor ejus: ſimul exarſerunt in nos miſerationes ejus, Ol. 11. v. 9. propterea diſſimulat peccata noſtra pro-

pter pœnitentiam, Sap. 11. v. 24. hinc admirandus Auguſtinus ait: *Peccant homines ſub cœlo, faciunt omnia mala ſub cœlo, & tamen proteguntur cœlo.* En beneficium & clementem Patrem! qui facit Solem ſuum oriri ſuper bonos & malos: & pluit ſuper juſtos & injuſtos, Matth. 5. v. 44.

Tamerlanes Scytarum Rex, in more habuit, ut ſi urbem obſidione cingeret, primò die album tentorium figeret, quo civibus omnem gratiam, ſi dedicationem facturi eſſent, obtulit. Poſtridiè rubrum tetendit, quo ſanguinis effuſionem minatus eſt. Tertio die nigrum præſentavit, quo ſolo ſe civitatem æquaturum, & igne exuſturum, indicavit.

Idem certo modo Deus quoque facit. Primò extruit tentorium candidum, quando per Miniſtros & Legatos ſuos quemlibet ad pœnitentiam invitavit, 2. Cor. 5. v. 20. Quodſi verò dies ſalutis & gratiſæ viſitationis prætermittitur, deſetiſcitur miſereri, Jer. 15. v. 7. tenditque tentorium rubrum, h. e. peſtilentiâ, bello & fame punit, juxta illud Ezechielis: *Qui longe eſt, peſte morietur: qui autem prope, gladio corruet: & qui relictus fuerit & obleſſus, fame morietur*, Ezech. 6. v. 12.

Quodſi & hoc nihil efficit, tandem nigrum tentorium figit, & punit igne infernali, hic eſt interitus æternus, 2. Theſſ. 1. 9. ubi nulla curatio ſperanda, 2. Chron. 36. v. 16.

Præparare ergo in occurſum Dei tui, Amos. 4. verſ. 22. dum hodiè dicitur, Hebr. 3. v. 17. dum expandit manum ſuam, Eſa. 65. v. 2. dum fores gratiæ adhuc patent, Matth. 25. v. 10. Tam cûd enim iraiſci poteſt, quàm miſereri, &

ira

ira illius in peccatores non desinit, Sir. 5. v. 7.

III. *Ex rivulo divina condolentia.* Ubi enim miser conservus, qui centum saltem denarios debebat, sine misericordia in carcerem conjiciebatur, & Rex illud comperiebat, iniquitas hæc ad eum morder, ut continuo servo nequam ad se vocato, sævitiam hanc exprobrat, inquit: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo & te misereri oportuit conservi tui, sicut & ego tui miserus sum?

Ita adhuc hodiè Deus fidelium suorum curam gerit. Miseretur enim ut Pater filiorum, timentium se, Psal. 103. v. 13. & ut mater filii uteri sui non obliviscitur, ita ille nec nostrum obliviscitur, nam in manibus suis descripsit nos, Esa. 49. v. 16.

Equidem propter peccata nostra permittit quandoque hostibus, ut nos lædere possint. Interim illis metam ponit, dicens: Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos, Job. 38. v. 11. inò si ultra metam progrediuntur, virgam in ignem projicit, ut ait per Zachariam: Zelatus sum super Jerusalem & Sion zelo magno: Et ira magna ego irascor super gentes opulentas: quia ego iratus sum parum, ipsi verò adjuverunt in malum, Zach. 1. v. 15. confer Jerem. 39. v. 16.

Id ipsum ex exemplis patet. Cum Pharaò intolerabili jugo premeret Israelitas, Deus eos per Moysen validè liberabat, Exod. 1. seqq.

Cum Sennacherib Regi Hiskia fastuosè insultaret, ad preces illius Angelo misso, in castris ejus centies octoginta

quinque millia percutiebat, 2. Reg. 18. v. 19.

In quanto periculo erant Christiani Damasceni, cum Saul adversus eos minas & cædes spiraret? Hos respiciebat Dominus, cælitus Saulum compellans: Saul, Saul, quid me persequeris? Durum erit tibi adversus stimulum calcitrare, Act. 9. v. 1. seqq.

Hic Deus adhuc vivit, irritata est anima ejus super miseriam Israelis, Jud. 10. v. 16. nec relinquet virgam peccatorum, super sortem justorum, Psal. 125. v. 3. qui fideles tangit, pupillam oculi ejus tangit, Zach. 2. v. 8. Tandem ad pressuras ejusmodi sequetur tempus refrigerii, Act. 3. v. 19. ubi in sinu Abraham omnium malorum refrigerium sentiemus, Luc. 16. v. 25. & cum jubilatione metemus, quod hic in lacrymis seminavimus, Psal. 126. v. 5.

De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regalis, ut sunt

I. *Deum time.* Eò remittit nos Christus, in Exordio Evangelii inquit: Assimilatum est Regnum cælorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Per hunc Regem nemo alius intelligitur, quàm Deus Pater cælestis, qui est Rex Regum & Dominus Dominantium, 1. Tim. 6. v. 15. Nam in cælo paravit sedem suam: & Regnum ipsius omnibus dominabitur, Psal. 103. v. 19.

Hic Rex servos suos habet, quibus bona sua concedit, uni dedit quinque talenta, alii duo, alii verò unum, unicuique ut operetur in eis & lucretur, Marth. 25.

v. 14. seqq. Hic nemo exceptus est, cujus-  
cunque sit loci & ordinis.

Sicut igitur aliàs oculi ancillæ in mani-  
bus Domine suæ; & sicut oculi servorum  
in manibus Dominorum suorum, ita oculi  
nostri ad Dominum Deum nostrum, Psal.  
123. v. 2. ut quæ grata ei sunt, nostrâ spon-  
te perficiamus, sicuti servi Centurionis  
Capernaitici hæc laude celebres sunt,  
Matth. 8. v. 9.

Quod verò Domino huic adversatur,  
omittamus, ne ad iram eum provocemus.  
Est enim Deus æmulator, & ulciscens Do-  
minus, ulciscens Dominus, & habens furo-  
rem: ulciscens Dominus in hostes suos,  
& irascens ipse inimicis suis, Nah. 1. v. 2.

Iccirco hic rationem eum à servis suis  
exigere audimus, quò sciat, quomodo res  
suas administraverint. Id ipsum nobis  
quoque restat: Dies jam statutus est, Act.  
17. v. 31. & Adventus Domini appropin-  
quavit, Jac. 5. v. 8. ubi Dominus accersitis  
servis suis, de quolibet verbo otioso ratio-  
nem reposcet, Matth. 12. v. 36.

Hæc recordemini, Vos mei! & peccata  
fugite. Ibi enim nihil erit occultum, nihil  
inultum, sive bonum sit sive malum, 2.  
Cor. 5. v. 10.

Johannes Damascenus memorabilem  
historiam recenset de Rege, qui terribilem  
judicii diem semper sibi ob oculos posue-  
rit, ideoque mundi gaudio spreto, in verâ  
pœnitentia & pietate vitam suam transe-  
gerit. Erat ei frater, qui eum à tristibus  
ejusmodi cogitationibus avertere satage-  
bat, monens, ut tanquam alii homines gau-  
dio mundi frueretur. Rex conticuit, &  
manè buccina cani jussit, quod in Regno  
illo signum mortis erat. Frater cum tu-

bam audiret, non aliter opinans, Regem  
ipsum ad mortem damnasse, totus exhor-  
rescebat, advolutus pedibus Regis, ejusque  
gratiam implorans. Cui Rex: Mi frater,  
tu pertimescis tubam, qui tamen mortis  
reus non tactus es: & ego non metuerem  
ultimam tubam Dei mei, quem multoties  
offendi, & ad iram provocavi?

Nos idem faciamus, ô Optimi! cum  
metu & tremore salutem operantes, Phil.  
2. v. 12. qui enim memorat novissima, nun-  
quam peccabit, Sir. 7. v. 40. sed lumbis  
præcinctis expectabit Dominum, Luc. 12.  
v. 25. Sic vicissim Dominus eum non no-  
dò adversus iniquam violentiam tuebitur:  
sed & aliquando in gaudium cœleste per-  
ducet, Joh. 12. v. 26.

II. *Veniam pete.* Id facit hic servus, inqui-  
ens: Domine, patientiam habe in me: &  
& omnia reddam tibi. Quod se coram  
Domino humiliat, ejusque gratiam petit,  
in eo rectè agit. Dominus enim respicit ad  
pauperculum, & contritum Spiritu, & tre-  
mentem sermones suos, Esa. 66. v. 2. Quod  
verò omnia se reddidurum pollicetur, in eo  
fallit. Nam id simpliciter impossibile est,  
siquidem omnis justitia nostra sicut pan-  
nus menstruatæ, Esa. 64. v. 6. Si volueris  
contendere cum illo, non poteris ei respon-  
dere unum de mille, Job. 9. v. 3.

Propterea non confidamus meritis no-  
stris, sed unicè cum servo hoc gratiam Dei  
imploremus. Per miserere mei, tollit-  
ur ira Dei, dixerunt Veteres, Psal. 103.  
v. 9. seqq.

Hoc in mundo sæpè variæ exceptio-  
nes confinguntur, quando nomina exi-  
guntur, ut Siracides prolixè docet, cap. 29.  
v. 4. seqq.

Alii



Alii mercaturam deserunt, quando solvendo non sunt: vel saluum conductum in Aula Imperatoris emendicant, quo adversus exactores maniantur. Hoc verò species furti est, si ex *προαιρέσει* fiat. Mutuatur peccator & non solvet, Psal. 37. v. 21.

Minus verò excusari potest, in fori poli, si quis debitum neget, ut Cain, Gen. 4. v. 10. vel jactantius se efferat, ut Abnerus, qui in contumeliam accipiebat, cum Isboseth ipsi exprobraret, quod cum concubinâ Patris sui rem habuisset. Numquid, dicebat, caput canis ego sum, quòd argueres pro muliere hodiè, 2. Sam. 3. v. 6. seqq. vel aufugiât, uti Jonas, Jon. I. v. 3. Id omne locum non habet. Dominus enim ille, cujus ministri sumus, est *καρδ' ἰσχυρῶς*, Act. 1. v. 24. & scit, quid in homine sit, Joh. 2. v. 24. Nec irritationem ferre potest, quia omnia potest, Sap. 11. v. 24. Furor hominum est laus ejus, reliquis furoris accinget se, Psal. 76. v. 11. Præterea ubique præsens est, nec quisquam in absconditis occultabitur, ut ipse eum non videat, Jer. 23. v. 24. Amos. 2. v. 26.

Prome itaque peccatum, ingenuè fatere iniquitatem, humiliter agnosce culpam, iniquus: Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi, Psal. 32. v. 5. Tibi solùm peccavi, & malum coram te feci, Psal. 51. v. 5. 6.

Id omnibus Sanctis incumbit, Psal. 32. v. 6. nemo enim inter illos integer, Job. 15. v. 15. Sed justus in die septies cedit, Prov. 24. v. 17. Verùm hoc solarium nostrum, quod benignum Deum habeamus, qui aufert iniquitatem, & transit peccata reliquiarum hæreditatis suæ, Mich. 7. v. 18. Apprehendamus modò meritum Christi,

quod pro peccatis totius mundi præstitit, 1. Joh. 2. v. 2. & dicamus cum Publicano: Deus propitius esto mihi peccatori, Luc. 18. v. 13. & gratiam inveniemus, Act. 10. v. 33.

III. *Proximo ignosce.* Id enim vult Servator, quando Evangelium hoc egregio hoc Morali concludit: Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo, de cordibus vestris, delicta eorum.

Hic attendendum,

1. *Quid faciendum? Remittere debemus.* Id Deus mandat. Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in viâ cum eo, Matr. 5. v. 25. Col. 3. v. 12. Qui hoc non facit, sed seipsum ulciscitur, vel simulationem in animo fovet, munus Dei invadit, ait enim: Mea est ultio, & ego retribuam, Deut. 32. v. 5.

2. *Quis?* Non pauperes modò, sed & divites, summi & infimi, Domini & servi, omnes enim fratres sumus & Patrem cælestem agnoscimus. Qui itaque peccata remittere non vult, ultionem ejus incurrit, nec remissionem consequetur, Matth. 6. v. 15.

3. *Cui?* Fratri nostro, qui omnes homines sunt, siquidem ex uno sanguine omnes genus ducimus: Act. 17. v. 26. Gen. 3. v. 20. Hinc Christus, Luc. 17. v. 3.

4. *Quomodo?* De corde, non hypocriticè. Multorum vox est: *Ich wills ihm zwar vergeben / aber vergessen kan ichs nicht.* Verùm utrumque fiat oportet, ut remittatur, & oblivioni injuria tradatur, sicut Deus peccata non recordatur amplius, Mich. 7. v. 19. Ezech. 18. v. 24.

5. *Chr?* Nempè ex hac causa, ut & ipsi remissionem peccatorum à Deo impe-

tremus : non quasi remissio nostra causa meritoria sit remissionis Dei. Nequaquam. Sed quia ita Deus ordinavit, ut hâc ratione fidem nostram probemus. Nostra igitur condonatio, quâ proximo remittimus, subordinata est remissioni, quâ Deus nobis peccata condonat, Matth. 6. v. 15. Jac. 2. v. 13.

Verùm hîc tanta virulentia plurimorum animos occupavit, ut vitam sibi acetabam putent, nisi animum vindictæ cupiditate cupidum exsaturent. At & ipsi gravissimè vindicabuntur, in stagno ardente Sulphure & igne, quæ est mors secunda, Apoc. 21. v. 8. Esa. 66. v. 24.

Veri igitur Christiani carnem suam crucifigant, cum desideriis & concupi-

scentiis, Gal. 5. v. 24. Deum sollicitè orantes, ut virtute sua infirmitatem suam perficiat, & cor lapideum auferat de carne suâ, detque cor carneum, Ezech. 36. v. 26.

Hoc si ita factum fuerit, non frustrâ fiet, promisit enim Christus Spiritum sanctum petentibus, Luc. 11. v. 13. hîc ignem amoris in cordibus nostris accendet, nosque aliquando è mundo hoc rixoso transferet in domos pacis, Esa. 32. v. 17. ubi delectationes, Psal. 16. v. ult. imò pax & gaudium erit in æternum, Rom. 14. v. 17.

Princeps pacis JESUS CHRISTUS, eò nos transferre dignetur,  
Amen.

## DOMINICA XXIII. POST TRINIT.

*Evangelium Matth. 22. v. 15. -- 23.*

### EXORDIUM.

**C**Um Israëlita copiosè multiplicarentur in Ægypto, displicebat id novo Regi, ideoque consilium inibat cum populo suo, quomodo sapienter opprimeret filios Israël, Exod. 1. v. 9.

Quod Israelitis illo tempore accidit, tanquam membris spiritualis corporis, id & deindè in N. T. in Christo capite impletum est: hinc est, ut ad Messiam applicetur, quod Hoseas quoad literam de filiis Israel ait: Ex Ægypto vocavi filium meum, Os. 11. v. 4. Matth. 2. v. 15. ratione arctissimæ conjunctionis capitis, cum membris suis, vi cujus propediem sentit,

quid illis boni vel mali eveniat. Cujus exemplum perspicimus in Saulo, qui diplomatis Damascum proficiscebatur, ut si invenisset hujus viæ viros & mulieres, victos perduceret in Hierusalem; sed Dominus cœlitus eum compellabat: Saul, Saul, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare, Act. 9. v. 2.

Quod igitur in unâ parte congruit, id etiam è simili fundamento ad alia applicari potest, maxime quod attinet insidias, quas Pharao ad opprimendos Israelitas cum suis excogitavit. Septuaginta Interpretes ita expresserunt: κατασφιζόμεθα αὐτὸς, astu circumveniamus eos. Primò enim obstetrici-